

Wf
330





Wf
330

AD
ILLUSTRISSIMUM ATQVE CELSISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM,
DOMINUM

CHRISTIANUM,
DUCEM SAXONIAE, *Al. Fuden*
JULIACI, CLIVIAE, MONTANIAE, *Mich. II*
COMITEM PROVINCIALEM THURINGIAE, *Aut. Sax.*
COMITEM LIMITANEUM MISNIAE,
PRINCIPEM HENNEBERGIAE,
COMITEM MARCAE ET RAVENSBURGI,
RAVENSTEINII DYNASTAM,
DOMINUM SUUM CLEMENTISSIMUM,
HOSPITEM GRATIOSISSIMUM,
MUSARUM ISSIACARUM
ALLOQVIUM
HUMILIMUM.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

(1, 851.)



FELICITER! FELICITER!

I PRAECO, ITO FAMA:

SACRUM INDICTIVUM EST,
SACRUM GYMNASTICUM.

ETENIM

ILLUSTRISSIMUS ATQVE CELSISSIMUS
PRINCEPS AC DOMINUS,
DOMINUS

CHRISTIANUS,

DUX SAXONIAE,

JULIACI, CLIVIAE, ET MONTANIAE,

COMES PROVINCIALIS THURINGIAE,

COMES LIMITANEUS MISNIAE,

PRINCIPALI AXIOMATE COMES HENNEBERGIAE,

COMES MARCAE ET RAVENSBURGI,

RAVENSTEINII DYNASTA,

DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS,

AUREUS AUREAE STIRPIS
RAMUSCULUS,

AD PARENTUM SERENISSIMORUM NUTUM

PATRIAEQVE SALUTEM AC VOTUM

IN MUSARUM ATQVE GRATIARUM

NUTRICATU VERNILITER

SUCCRESCENS,

PRO INCOMPARABILI SUO, QVO LITERAS

PROSEQVITUR, AMORE

E PALATIO IN ILLUSTRE COLLEGIUM CONCEDERE,

IDEMQVE AUGUSTAE SPLENDORE PRAESENTIAE

SERENARE DIGNABITUR.

A 2

CUI

CUI
EXCELSISSIMAE INDOLIS,
SUMMAEQVE ADEO EXPECTATIONIS
PRINCIPI JUVENTUTIS,
B. R. P. N.

PER GAUDIUM AC BONA OMINA
PUBLICO IDPROPTER NOMINE
CULTU ATQVE OBSEQVIO HUMILIMO
ET GRATULATURUS ET ACTURUS GRATIAS,
OMNES, QVOTQVOT TAM PROFITENDO QVAM
STUDENDO IN CASIMIRO - GVILIELMIANO
NAVANT OPERAM,
QVOS VEL IPSA REI DIGNITAS PER SE INVITAVÉRIT,
ISTHOC CONVOCAT PROGRAMMATE
M. ISRAEL CLAUDERUS,
HISTOR. AC ELOQV. PROF. PUBL.

P. P. COBURGI AD D. VIII. CALEND. DECEMBR.
ANNO MESSIANO M D C LXI.
AERA GYMNASICA LVII.



IBIDEM TYPIS ILLUSTRIBUS EXSCRIPSIT
JOHANNES CONRADUS MONACHUS.

IL-

ILLUSTRISSIME ATQVE
 CELSISSIME PRINCEPS
 AC DOMINE, DOMINE
 CLEMENTISSIME,



Vanam nostrâ felicitate factum fuisse dicam, ut Illustre hoc Tuum Gymnasium, quod à Fundatore Magnificentissimo pariter & Restauratore ac Nutritore Munificentissimo Casimiro-Guilielmianum salutamus, hac ipsa horâ longè exoptatissimi Tui adventûs prorsus edecumatô beneficiô beare volueris? Certè, quò magis expectatum & in votis erat habitum illud, eò magis gratum cuncto Docentium atqve Discentium ordini accidit, qui eximiâ hujusce felicitatis magnitudine sic exsultant letitiis, ut ad singularem SERENISSIMI PARENTIS, Patriæ Patris Incomparabilis, gratiam, Athenis Isiacis usqve huc adfatim præstitam, maximum accessisse cumulum præsentia hacce splendidissimâ, omnes, omnes fateantur.

O auspiciatam & nullo evô delendam ejus diei fortunam, quæ multorum annorum decora unam in lucem, minùs usitatô exemplô, adcumulavit! ô diem unionibus signandum! ô benignitatem, in acta mittendam publica! O egregiam Tuam, PRINCEPS EXCELSISSIME, & vix enarrabilem magnanimitatem, id potissimùm ingredientem, quo de adeò tenellæ ætatis modulus, (nondum enim octavum explevisti annum,) tantùm non desperare nos jubebat! ô æternis

annalibus Tuam ob hoc victuram laudem! Ecquis pro fasti-
gio rerum tam ad omnem seculorum memoriam insigne bene-
ficiū dignè animò conceperit? Stupeo, Auditores, stupeo, &
tanquam turbulentâ somni imagine confusus, vix oculis meis,
vix auribus satis credo, cum, presenti inprimis evò, Musis
mirum quantum iniquò, talem ac tantum erga literas amo-
rem, tale ac tantum beneficiū intueor, quod novâ & ante
hunc ipsum diem rariùs auditâ indulgentiâ gloriæ ac perenni-
tati Tuæ erexisse mihi videris. Ipsi hi parietes, ipsamet hæc
subsella Illustris Athenæi quasi gestiunt, hilaritatèmqve præ se
ferendo, adsurgere Tibi ac adplaudere quodammodò satagunt.
O eat in secula tam luculentum Principalis magnitudinis
exemplum!

Musas, fidòsque harundem adseclas, in magnâ olim
dignatione apud summos etiam fuisse Principes, historiæ
monimenta ignorare nos non sinunt. Cn. Pompejus M. con-
fectò Mithridaticò bellò intraturus Athenis Posidon I, sapien-
tiæ professione clari, domum, fores percuti de more à lictore
vetuit, & fasces lictorios januæ submisit is, cui se Oriens Oc-
cidensque submiserat. Cl. Tiberius Nero, Imperii Candidatus,
in illo suo secessu Rhodi genus vitæ civile admodum instituit,
sine lictore aut viatore Gymnasia interdum obambulans, mu-
tuâque cum Græculis officia usurpans propè ex æquo, circa
scholas & auditoria Professorum assiduus. Philippus Im-
perator nihil majestati suæ decedere putavit, etiamsi scholares
suos conscholasticos adpellaret, non secus atque olim fortissimi
duces milites commilitones adpellârunt. Quem emulatus
Johannes II. Ferdinandi, Arragoniæ Regis, filius, eosdem
socios & fratres identidem inclamavit. Carolus IV. Cæsar,
cum, scholam Pragensem more suò ingressus, disputantes ar-
tium liberalium magistros in horas quatuor audivisset, idque
Purpurati molestè ferrent, ac cæna tempus instare dicerent:
mihi, inquit, tempus est minimè! nam cæna mea hæc est.
Maximilianus I. Imperator non Viennensem solum Aca-
demiæ; sed Heidelbergensem etiam suâ præsentia atque au-
scultatione cohonestavit. Ferdinandus Catholicus, Hispaniæ
Rex,

Rex, venit aliquando Complutum, & Franciscò Ximeniò, ArchiEpiscopò Toletanò, latus claudente, magnà totius populi literarii letitià exceptus, singulas scholas diligenter perlustravit, & Profesores studiose audiuit. Franciscus I. Gallie Rex, tùm captivus in Hispania, eandem Complutensem Academiam visitans, & à Rectore atq̃ve Patribus Literariis per omnes scholas circumductus, attentò & considerante animò cuncta perlustravit tacitus. Patrum memorià mirè sibi placuit Lovanium, quòd Albertus, Austriae ArchiDux, Belgii Gubernator, cum Coniuge Isabellà Clarà Eugenià, Infante Hispaniarum, auditorium ex inopinato ingressi, fustum illum Lipsium audiverint profitentem: eaq̃ve tantorum Principum humanitas, quandoquidem ad literarum & Academiae Lovaniensis ornamentum pertinere videbatur, plenis Fame tubis ac tibiis passim decantata fuit. Nec minor sanè nostra in presens existit gloria, qui Principem Juventutis Florentissimum ultrò ad nos visentem & audientem emisistiis usurpamus oculis.

Macte esto hac virtute, DUX GRATIOSISSIME, macte istà indole, ac Musarum amore plus plusq̃ve inardesce! Habes heic, quos sequaris, viros itidem de summatibus: Ferdinandum I. Romanorum Imperatorem, seriò adfirmantem, se malle omnes suas gemmas & gazas perdere, quàm literas nescire: Robertum, Regem Neapolitanum, chariores sibi literas regnò esse, dicentem: Alfonso, Arragonum Regem, plus vice simplici adseverantem, malle se omnium regnorum suorum, quorum septem numerabat, jacturam facere, quàm vel minimum doctrinae experiri dispendium. O

verba linenda cedrò, ac levi servanda cupressò!

Nimirum, non nesciebant Heroës Laudatissimi illud Romani Sapientis pronunciatum: vitam sine literis mortem esse, ac vivi hominis sepulturam. Literarum satellitiò stipatus Princeps inter malorum ancipitia incedet reclusus ac erectus, adeoq̃ ignavià & audacia spretis, fortitudinem eliget: stupore & voluptatum illecebris procul habitis, temperantiam colet: avaritia & prodigalitate valere iussis, liberalitatem amabit:

pusillanimitate & superbiâ rejectis, moderata honorum ad-
petentia & magnanimitati palmam deferet: iracundia &
nimia lenitudini mansuetudinem & clementiam anteponet.
Quid multis? Literis probè excultum pectus possidens, inter
vitiorum extrema semper medius,
mediò tutissimus ibit.

Sume itaque exemplum, **OCELLE GRATIARUM**,
& quod, sub dexterrimo actisque feliciter experimentis exi-
miè claro morum ac studiorum Tuorum formatore, facis egre-
giè, praeclaris Inclutissimorum Parentum atque Majorum
insistens vestigiis, Pietatis ac Doctrinae iter strenuè porro ca-
pesse, Tibique fortunam virtutum ac morum innocentia ad
felicitationis gloriam effinge.

Ast, quid ago? Quorsum me ipsa rei vocavit digni-
tas? Illustre Collegium ore meò Te alloqui, Tibique adven-
tum humilimè gratulari, atque insimul observantiam, fidem,
ac devotionem debitam testari cupit. Verùm, ab hac argu-
menti parte ingenii imbellia ac parvitas non dehortatur me;
sed prorsus abstrahit, nihil ad excusandam orationis balbu-
tiam relinquens praesidii, nisi sola brevitatis impetranda titulus
venia allegetur. Ingratissimum utique insulsissimumque
nostrum sit Collegium, nisi Tibi, **DOMINE**, pro singulari
in se clementia proluxum demississimi obsequii adfectum lubens
lubens emetiretur. Non autem opus est, sermone velle expo-
nere, quod ipso sensu percipi longè plenius potest atque pla-
nius. Horum omnium in Te conversa vides ora, in Te uni-
cè defixos cernis oculos, ex Te pendere vultus, imò pectora,
animos, mentes intelligis: ex obtutu omnium purissimi sub-
jectissimique adfectus relucet flamma, qualem Optimorum
Principum amor in bonorum civium cordibus accendit ac
alit. Ausim dicere, non facile quemquam alicui tam cha-
rum existisse unquam, quam Tu Tuo es populo, magnum
ejus atque longum bonum. Optamus, (nullus enim ambigo,
cordatum quemlibet cum Illustri Collegio in votorum consen-
sum conspirare,) optamus Tibi, **DOMINE**, Annos, Salu-
tem, Gloriam: quò opulentam illam à Majoribus ad Te
dela-

delatam virtutum hereditatem, & peculiare Ruta Saxonica
praeminentias, insignes item ingenii animique Tui dotes cum
Patria bono atque commodo uberrimo saluberrimoque olim
aliquando communices. DEUS TE SERVET, amor
Tuorum & omnium! Iterum vovemus: DEUS TE
SERVET, ac, quicquid mereris, in Te plenam conferat manu
largissimè! Ast, quid non merearis autem, adeo rararum
& praeclararum minarum? CHRISTIANE, flos Juven-
tutis Principum, DEUS TE SERVET!

Quod restat, unum adhuc Te, PRINCEPS FLO-
RENTISSIME, efflagito, & quàm possum humiliter,
enixe ac obnixè à Te peto: contemplare, quæso, haud gra-
vate nobilissimam isthanc Musarum sedem, & totum hoc,
quaquà patet, Athenæum, oppido famigerabile, sagacibus
perlustra oculis, juxtaque tam Profitentibus in eodem quàm
Studentibus perennaturum gratiosissima Tuae Clementia solem
constanter serva. Ita vivas, ita floreas, ac devotissimam
Tibi Collegii nostratis pietatem volens propitius accipias. Vo-
ti hujus compos redditus, satis bene, quantumvis infans in
dicendo ac infacundus, feliciter satis ex hac cathedra

D I X I.



ILLUSTRISSIMI AC CELSISSIMI
DOMINI

at. 27. Febr. 1654.
enat. — 1663.

CHRISTIANI,

DUCIS SAXONIAE, JULIAE,

uit ita septimib.
in hoc pub. prof.

CLIVIAE, ET MONTANIAE,

Ad gratulatoriam,

à Domino Magistro Claudero nomine totius
Gymnasii habitam,

Succincta Responsio.

Omnigena doctrina & status Viri charissimi,



Estrum gaudium, ob primum
meum in vestrum Lycaëum
ingresum, causatur & mihi
non mediocre gaudium: Ve-
stra acclamatio, quâ gratula-
bundi ex subjectâ animi devotione, huc ve-
nientis aures impletis, in hac tantilla mea æ-
tate non sine fructu erit. Nam ob id natum
me arbitror, ut veræ Ecclesiæ & Scholæ Mi-
nistros, non saltem jam; verum etiam per
dies vitæ audiam & colam: quod me inducit
etiam, ut pollicear, quantum in me consistit,
iis omnem gratiam & favorem, sperans à
DEO gratiam non minorem, partim ob in-
tercessionem vestram, quâ legitimos vestros

Prin.

Principes Dei gratiæ commendare contendi-
tis, partim & meâ fide & amore in Christum,
propter me natum, crucifixum, & mortuum.

Macti estote, macti, inquam, virtute hujus
Gymnasii & Ecclesiæ Dei Doctores, Magistri,
& Ministri! ut, labore vestro, hoc plantarium
liberalium artium ita excolatur & perficiatur,
quò remedia possint excerpi non solum con-
tra Ecclesiæ Christi oppugnatores; verum
etiam Patriæ invasores, ac Reipubl. perturba-
tores.

Ego interim, quantum in me erit, non
defatigabor vobis bonis exemplis, auspice ac
duce Christo, præire, omniaque mea confi-
lia eò dirigere, ut ex utriusque conatu & glo-
ria Dei, & Reipubl. tranquillitas procuretur.

CHRISTIANUS, Dux Sax.



Principes Dei gratia commendare contendit
us partim & mea fide & amore in Christi
proprietate & in
Magis effere, nactum vobis, virtute huius
Gymnasii & Beatae Dei Doctores, Magistri
& Ministri! ut labore vestro, hoc plantarium
liberalium artium ita excolatur & perfectatur,
quo remedia per se in se ipsis non solum con-
tra haec, sed etiam Christi opugnatores; verum
etiam Patrie invictores ac Republicae periturae

1703
FA

ego rationem, dante in me esse non
detrahiber vobis bonis exemplis, quibus ac
duce Christo, prae, omnino de mea consi-
lia eo dirigere, ut ex utroque copiam & glo-
ria Dei, & Republicae, erant vobis, orocuratur.

CHRISTIANUS, Dux Sax.



1703



ULB Halle
004 965 639

3



1077



CUI
EXCELSISSIMAE INDOLIS,
SUMMAEQVE ADEO EXPECTATIONIS
PRINCIPI II VENTUTIS,

PER GA
PUBL
CULTU AT
ET GRATULA
OMNES, QVOTO
STUDENDO I

QVOS VEL IPSA
ISTHOC
M. ISRA
HISTO

P. P. COBURGI
ANNO
AER.



IBIDEM TYP
JON



OMINA
NE
MILIMO
S GRATIAS,
ENDO QVAM
ELMIANO

INVITAVERIT,
MATE
ERUS,
BL.

DECEMBR.
LXI.



SCRIPSIT

IL-

